Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0001-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0002-2

1689.

19 a. b. Mullerus, Petrus: De fictionibus iuris communis.
(Dazu eine Erläuterung von Gustav Böhmer 1924)

20 a. b. Mullerus, Petrus: De iuris episcopalis in terris protestantium a Romano catholicis iniuste praetensa reivindicatione. 2 Exempl. 1689. 1

21. Mullerus, Petrus: De mutatione libelli.

22. Mullerus, Petrus: De non omittendis in processu inquisitorio

23. Mullerus, Petrus: De prohibitione alienationis conventionalis occas. l. 3 C. de rei vind. ob. caus. dat.

24 a. b. Mullerus, Petrus: De contraria testium depositione. 2 Exempl. 1689. 1711

25. Mullerus, Petrus: De his, quae in pactum legis fiunt.

26 a. b. c. Mullerus, Petrus: De omni dotali filiae illustris patrum apanagiatorum. 3 Exempl. 1689. 1714.

1689

27. — —.

28. Mench, Joh. Christophorus: De testamento filii familias.

29. Pott, Johann Hans.: De providentia tutorum.

30. Pott, Johann, Hans: De actionibus praejudicialibus.

31. Rath, Henricus Balthas, Fr. pom. decanus: ad lectionem cursoriam Joh. Gottlieb Pfemingii invitat.

32. Schroeterus, Christianus: De editione actorum publico rum ad l. 2 C. de edendo.

33. Sembartus, Georgius: De ludis equestribus.

34. Stevoglius, Joh. Philippus: De modis, summam imperandi, acquirendi, conservandi et amittendi.

35. 1 2 Stevoglius, Joh. Philippus: De re nummaria veteri et augmento Sempf. 1689 - 1742

36. Stevoglius, Joh. Philippus: De victoriatis

37. [a.d.t.] Struvius, Georgius Adamus: De jurisdictione palatii principalis. Jenae Sumpt. 1689. 4. 1737.

38. Struvius, Georgius Adamus: De aere pluviatili.
sine loco. Wasch-Zettel.

39. Sturmius, Leonhardus Christophorus: De variis veritatis inveniendae methodis

40. Walther, Daniel: Historia Galbae Imperatoris

41. Wedelius, Georgius Wolfgangus: De bile ejusque morbis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0008-6

11508.

26.

1689,32 19

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

JOANNE GVILIELMO

SAXONIÆ, JVLIACI CLIVIÆ

AC MONTIVM DVCE &c. &c.

AVTORITATE

MAGNIFICI JVRECONSVLTORVM ORDINIS

DE

EDITIONE ACTO-

RVM PVBLICORVM

Ad L. 2. C. de Edendo

SVB PRÆSIDIO

JO. CHRISTIANI SHROETERI, D.

ILLVSTRIS REGIM. ADVOCATI ORDINARII

PVBLICE DISPVTABIT

AVTOR

GOTHOFREDVS PAVLITZ

GORL. LVSAT.

AD D. JVL. A. C. cIↃ IↃc LXXXIX.

JENÆ, LITERIS NISIANIS.

VIRIS
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. CONSVLTISSIMIS. AC PRVDENTISSIMIS.
INCLVTÆ. GORLICENSIS.
REIPVBLICÆ.
DOMINIS
CONSVLIBVS.
PRÆTORI.
SYNDICO.
SCABINIS. atque
SENATORIBVS.
PATRIÆ. PATRIBVS.
PATRONIS. SVIS. OPTIMIS.
MAXIMIS.
QVALECVNQVE. HOC. STVDIORVM. ACADEMICVM.
SPECIMEN.
PERPETVÆ. OBSERVANTIÆ.
MONVMENTVM.
D. D. D.

GOTHOFREDVS PAVLITZ.

Impp.
SEVERVS & ANTONINVS A.A.
FAVSTO.

Is apud quem res agitur acta publica tam civilia, quam criminalia, exhiberi inſpicienda, ad inveſtigandam veritatis fidem jubebit. PP. Non. Jul. Sever. A & Albino Conſſ.

CAPVT I.

Præcognita Legis continet

SVMMARIA.

Authores legis, Severus & Antoninus Impp. Præcipuas tamen partes ſuſtinente Severo. Vtriusque Elogium. Quis Reſcriptum impetrarit. Quo denique loco & tempore emanarit.

ITa habet celebris conſtitutio *Legis 2. Cod. de edend.* quam ut brevi commentario illuſtrare liceat, præmittenda loco prolegomenon eſt, tum inſcriptionis tum ſubſcriptionis quædam enodatio. Inſcriptio exhibet & autores legis, & nomen ejus ad quem ſcripta eſt. Autores Sacratiſſimi, ſive Principes Legislatores, fuere Lucius Septimius SEVERVS, quem unum imperatorem Romanis Africa, illa olim imperii Romani æmula, genuit: Eutrop. *in Breviar. 8.* Caſſiodorus *in chron.* Egnatius *in vit.* & AVRELIVS ANTONINVS Baſſianus, cognomento Caracalla, Severi ex Marcia filius, quem annum decimum tertium agentem, Conſortem imperii Pater, & Cæſarem à Senatu appellari juſſit. Ælius Spartian. *in vit. Severi 14. & c. 16.* Vnde conjicere licet, etſi ex æquo utriusque nomen conſtitutio præferat, Patrem tamen Severum potiſſimum ejus autorem eſſe, qui primo literis ac civilibus ſtudiis, deinde imbutus foro, mox fiſci Advocatus, poſt multa denique & varia officia atque honores, adminiſtrationem Reipubl. indeptus, quantum monenti ſitum in actis publicis eſſet, quamque conduceret partibus ea exhiberi, compertiſſimum habebat. Auget conjecturam, atque præſtantiam Legis noſtræ adſtruit, quod de Severo hoc S. Arrelius victor *de Cæſarib. part. 2.* Ælius Spartianus *in vit. Sever. Anton. Caracallæ c. 8.* aliique memoriæ proditum reliquerunt; fuiſſe eum legum Conditorem longe æquabilium, cauſas plurimas ipſum audiviſſe Papinianum quoque habuiſſe amiciſſimum & ex Julia affinem, quin & communium ſtudiorum ſub Scævola JCto quondam ſocium. Promeruere hinc Severus & Antoninus Impp. ut non uno loco Papiniano, Optimi Maximique Principes appellentur. *vid. l. 30. ff. de Excuſat. tutor. l. 16. ff. de*

his quibus ut indign. l. 7. de Vacat muner. add. Cujac. *lib. 2. obſ. 33.* Scripta eſt conſtitutio ad FAVSTVM quendam, de cujus vero conditione ac ſtatu qualis fuerit, nihil liquidi aſſeri poteſt, nec refert admodum ſollicidius in id inquiſiiſſe: privatum eum fuiſſe, litibus forte implicitum, eamque ob cauſam Actorum editionem flagitantem, ſupplici ad Imperatorem Libello dato, veroſimile fit. Igitur miſſa inſcriptione, progrediamur ad ſubſcriptionem, quæ tempus reſcripti propoſiti indicat. Et ſi enim in non paucis aliarum legum ſubſcriptionibus, loci quoque, quo latæ ſunt, mentio injiciatur: noſtra tamen eum omiſit, fortaſſis quod dubitandi cauſa nulla ſubeſſet, quin Vrbi Romæ Imperatoriæ dum temporis ſedi, promulgata conſtitutio natales ſuas deberet; ceu de cæteris quibusdam Severi & Antonini legibus etiam nominatim nonuerunt Juris Autores. *vid. l. 1. ad Leg. Juliam de Vi publ. vel privat. l. 5. C. de pignoribus & hypothecis l. 2. C. de his qui in prior. cred. loc. ſucced. l. 1. C. Si in cauſa judicat. pign. capt. ſit. l. 1. C. de inutilib. Stipulat. l. 3. C. ſi reus vel Accuſat. mort. fuer.* Tempus ſignati & propoſiti Reſcripti, perhibentur Non. Jul. poſt conſulatum ipſius Severi Auguſti & Albini, h. e. A. C. 195. quo eodem anno aliæ etiam duæ conſtitutiones ante noſtram, & totidem poſt eam promulgatæ in repetitæ prælectionis Codice comparent: nempe V. Kalend. Mart. *l. 1. de pignoribus & hypoth.* & II. Kalend. Maj. *l. 1. de Furt. & Serv. corrupt.* nec non VI. Kalend. Octobr. *l. 1. de fidejuſſor. minor.* & II. Kalend. Nov. *l. 1. Si alien. res pignor. data ſit.* Omnes hæ leges, noſtræ conſtitutioni contemporaneæ, ac primo ſtatim Imperii anno latæ ſunt: Cum in collegam conſulatus Clodium Albinum adſciviſſet Severus, quem & omnino in Imperio ſibi ſurrogare, ſi quid ei contingeret, animo voluiſſe fertur: verum poſtea, cum &

filiis jam majusculis ſtuderet, illisque imperium ſervare cuperet, & ſtudia Senatus majora adverſus Albinum metueret, mutavit ſententiam atque bello eum oppreſſit, de quo adeundus Jul. Capitolin. *in vita Clod. Albin. c. 3. c. 7. c. 10.* Nos à prolixiore tum inſcriptionis, tum ſubſcriptionis examine, ne à Scopo nimium dilabamur, conſulto abſtinemus, & ad Conſtitutionem ipſam propius accedimus. Cujus ſenſum ſic Commodiſſime aſſequi poſſe videmur, ſi, quæ nobis in præſenti actorum publicorum nomine veniant, quæve eorundem & in quem finem ex hibitio, cui & à quo facienda, ac denique quibus remediis ſi non fiat, exigenda ſit, ordine exponamus.

CAPVT II.

Quæ acta edi debeant, exponit.

SVMMARIA.

Actorum nomen generale. Acta à Commentariis ut differant. Item à geſtis. Item à factis. Acta publica quæ dicantur. Forenſia quævis hic intelligi. Et judicialia. Quæ ſint acta civilia, quæve criminalia. Etiam criminalia acta edenda eſſe. Reſpondetur ad l. 2. §. 2. C. de jur. fiſc. *Inquiſitionis quoque acta eduntur. Et quæ indicia ad torturam continent. An conſilia inter acta parti adverſæ edenda? An Epiſtola judicis, qua acta in Collegium JCtorum transmiſſurus ſententiam eorum requirit?*

NOmen Actorum ampliſſime patet, & omnibus iis quæ aguntur, ſive publicè ſive privatim, ſive in judicio ſive extrajudicium, tribui poteſt. Ut plurimum tamen collectionem

ctionem quandam denotat, accipiturque pro rerum actarum congerie, in tabulas vel commentarium redacta. Quanquam inter actorum tabulas & Commentarios hoc intercedat discriminis, quod illæ publica, hi privata magis memoria sint. Sic enim Budæus *in l. 32. ff. ex quib. caus. maj. p. m. 272.* annotat. Commentarium librum esse, quem sibi quisque privatim facere consueverit, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum quæ agimus, sive Diarium & Ephemeridem actionum nostrarum. idque paulo post Tullii quodam loco confirmat, *in prima Antoniana* dicentis: *An in commentariolis & Chirographis & libellis se uno autore prolatis, acta Cæsaris firma erunt? quæ ille in æs incidit, in quo populi jussa perpetuasq; leges esse voluit, pro nihilo habebuntur?* Quibus verbis hoc ipsum quod innuinus eum significare infert, Commentarios nimirum privatam esse memoriam, acta autem debere esse memoria publica testata, quæ in ærario esse solebat. Eadem fere ratione, Acta à Gestis distingvit Laur. Valla *Elegant. L. 4. c. 4.* ut hæc sint eorum duntaxat, quæ in administratione Magistratus, & in rebus majoribus & ad Rempubl. aut ad plures spectantibus geruntur: Acta vero rerum privatarum, & minorum ac familiarium. Enim vero, vereor ut discriminis hoc ubique observent probæ latinitatis authores; quin potius in confesso est, Acta non minus quam gesta de rebus gravibus arduisque æquè ac levioris momenti, causis publicis æque ac privatis negociis dici. Vocamus in partes denuo Ciceronem, hic sane acta Cæsaris appellat, etiam quibus regnorum translationes & provinciarum divisiones continebantur, & *2. Philipp.* in publicis actis, nihil esse gravius ait, in privatis firmissimum esse testamentum. Aliter JCtus in *l. 19. ff. de V. S.* Actum, contractum, gestum invicem distingvit. *add. l. 1. ff. de offic. Procur.*

tur. Cæsar. Sed & inter acta & facta differentiam non levem reperire datur, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat. Actum enim propriè dicimus, quod in judiciis actum est: Factum quod extra judicium. *argum. l. 1. §. 1. ff. Quod cujusque universitatis nom. vel contra eam agat. ib: quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat. & l. 2. §. 1. ff. de Curat. bon. dand. ibi acta, facta gestaq; sunt.* Veruntamen si dicendum quod res est, his etiam plerumque promiscuè usos Juris autores deprehendimus. vid. Cujac. *in d. t. 19. de V. S.* Robert. Marand. *in pract. aur. part. 6. de act. edit. n. 15.* Est igitur hæc ut diximus frequentissima actorum acceptio, cum rerum actarum congeriem designant; non minus tamen obvia & altera illa, qua μετωνυμικῶς pro instrumentis seu tabulis, in quibus res actæ perscriptæ sunt, usurpantur; quod cum aliis boni commatis scriptoribus passim, & in Severi nostri vita Spartiano usu venit, qui meminit Actorum, quæ de Clodio Celsino laudando facta erant; tum vero imprimis JCtis solenne est, apud quos Acta circumducere, i. e. delere, destruere, *l. 48. ff. de Re judicat.* Acta emendare *l. 46. d. t.* in Acta referre, aut inter acta manifestari *l. 27. C. de testam.* frequentes formulæ occurrunt: vid. Donell. *hic & in l. 3. C. de Fide Instrument. n. 6. seqq.* nec dubitandum, quin hoc eodem sensu acta in præsenti lege nostra, & quotiescunque alias de editione eorundem agitur, veniant. Videamus nunc porrò, quid sit, quod PVBLICA dicat acta constitutio hæc? Nempe actorum plures species reperiuntur, vid. Honthem *de art. Notariat. tit. 4. c. 3. per tot.* Marant. *in specul. aur. part. 6. de actorum edit. n. 14.* Alia enim Judicialia, alia extra judicialia alia publica, alia privata sunt. Publica Acta, rursus diversimodè dicuntur. Nam alia sunt, quæ de causis publicam rem attinentibus, autoritate publica fiunt. Hæc propriè in

Consi-

Conſiſtorio Principis intimo fieri & ad Ærarium, quod erat in æde Saturni deferri, ibiqúe recondi ſolita olim eſſe, ad memoriam publicam poſteritati prodendam, tradunt: & conſtat ſubinde ex iis jus Prudentes noſtros petiiſſe. vid. Budæ: *Annot. prior. adff. in l. 32. ex quibus cauſis maj.* Strauch. *diſſert. Academica 3. θ. 25. & 27.* Alia vero acta publica ſunt ſcripturæ, continentes ea, quæ apud judicem de cauſa cognoſcentem aguntur; Oldendorp. *cl. 1. art. 8.* ſeu, ut D. Gothofredus ea finit, *ad. l. 1. ff. de Fide Inſtrum.* quæ judicem habent autorem. Hæc plerumque etiam abſolutè acta dici in legibus ſolent, *vid. l. 45. l. 46. ff. de Re judicat. l. 15. C. de appellat. &c.* merenturque publicorum nomen; tum quod res in iis autore & teſte eo agantur perſcribanturque, cujus perſona & autoritas publica eſt, i. e. Magiſtratu & eo qui à Magiſtratu judicandi poteſtatem accepit; tum quod fidem publicam inducant, h. e. non inter partes modo, quarum gratia confecta ſunt, ſed inter omnes omnino perſonas, perpetuam & in concuſſam fidem faciant, rem ita geſtam eſſe, ut illis actis continetur. vid. Dd *in l. ult. C. de rejudicat.* Carpz. *in proceſſu tit. 14 art. 5. n. 34.* Petr. Frider. *de Mandat. lib. 2. c. 66. ubi totus in eo occupatus eſt, ut probet, ſummam autoritatem actorum publicorum, & quod paratam, executionem mereantur.* Sigismund: Scaccias *de judic. lib. 2. c. 11. n. 706. & ſeqq. qui docet, probationem, quæ ſit actorum inſpectione, talem eſſe præ qua major nulla detur alia, ac ipſius judicis aut notarii aſſertioni multum prævalere.* add. Paul. Caſtrenſ. *hic n. 3.* Atque hanc publicorum actorum ſignificationem, quatenus ad uſum forenſem reſtringuntur, hujus loci apprime eſſe, Donell. *in h. l.* recte advettit. Nec enim Alciato *Commen. t. in h. l. n. 3. & 11.* habenda fides eſt, exiſtimanti, Acta nonniſi ad fiſcum pertinentia Imperatores conſtitutione

hac ſua innuiſſe : Nam quod ait *n. 15.* ſi coram judicibus de privatis cauſis acta confecta fuerint; ea jure noſtro privatorum acta aut privatos actus vel acta forenſia, non autem publica appellari *arg. l. 45. §. 4. de Jur. fiſc. l. 8. C. de Feriis l. 20. C. de Fide Inſtrument. l. 15. ff. de V. S.* admitti vix poteſt, nec ex adductis legibus ſatis probatur. Quin imò qua is præ ceteris innitebatur *l. 20. C. de Fide Inſtrument.* dum forenſia acta publicis jungit, non obſcurè comprobat, privatorum quoque in cauſis confecta acta, dummodo coràm judice, publica cenſeri : conjungi autem nec diſcerni illic forenſia & publica acta, etiam Harmenopolus *l. προχείρου 8. §. 10.* docuit, qui uno communi nomine *τῶν ἀγοραίων*, utraque appellat, & inſtrumentis *ἰδιοχείρους* contra diſtingvit : quod & ſecutus Novellarum interpres videtur, cui ſemper fere *ἀγοραῖα* inſtrumenta publica dicuntur *vid. Nov. 49. c. 2. Nov. 52. Nov. 75. Nov. 117. Nov. 142.* D. Gothofred. *in d. l. 20. C. de Inſtrument.* Hactenus, quæ publica acta intelligantur, vidimus; inde vero apparet ulterius, judicialia quoque ea ſupponi non extra judicialia; hæc enim quantum ad legem noſtram privatorum aoctorum nomine contineri veri ſimile eſt, præſertim cum rei quæ agitur, i. e. cauſæ controverſæ ſeu litis nominatim meminerint Imperatores; & ſi de cetero non eam inficias, multa incidere poſſe, ob quæ etiam extra judicialia acta edi neceſſum ſit. Petr. Frider. *de mandat. L. 2. c. 47. n. 4.* Recenſum porro actorum hujusmodi judiciariorum Pontifex fecit, *in c. 11. X. de Probat* atque eum quidem ſubdiliorem & diligentiorem quam ullo alio in loco; teſte Cujac. *in d. c.* Videlicet acta judiciaria eſſe, *citationes*, factas per libellum; & *dilationes* impetratas à judice inſtrumentorum vel teſtium exhibendorum cauſa, & in ſcripturam redactas; & *recuſationes* judicum, quæ ex ſcripto etiam fieri ſolent; & *exceptiones*

nes oppositas partibus vel testibus, quæ etiam literis mandari solent; & *petitiones*, i. e., conventiones & reconventiones; & *responsiones* & *interrogationes* judicis vel partis; & *confessiones* factas in judicio, quæ etiam literis perscribi solent; & *testium depositiones*; & *instrumentorum productiones*; & *inter locutiones* judicum; & *appellationes*; & renunciationes, quoties partes declarant, se jam satis probationum exhibuisse, nec ullas amplius exhibere velle, quoties probationibus & allegationibus finem imponunt; quibus *conclusiones* in causa adjiciuntur, atque ita post eas res eo tandem perducitur, ut non nisi sententia definitiva supersit. Acta vero coram arbitris confecta, e censu hoc excludimus; tum quod publica non sint; arbitri enim compromissarii privato nec publico officio funguntur *l. 1. ff. de recept. qui arbitr. l. 1. ff. de judiciis l. 3. C. de Jurisdict.* Anton. Faber *in rationali ad l. 3. §. 1. ff. de recept. qui arbitr.* atque ob id acta eorum eandem fidem non merentur: tum quod nec judiciaria ea sint; siquidem judicandi munus publicum est & a priuatis deferri nequit; quapropter acta coram arbitro confecta, non probant coram judice ordinario; cum tamen acta coram judice habita, faciant fidem etiam coram arbitro. vid. Lanfranc. *de arbitr. divis. 7. n. 76. & 77.* Hoc amplius TAM CIVILIA QVAM CRIMINALIA acta edenda esse monemur. Ubi quæ civilia, quæ criminalia dicantur, obscurum nemini est. Nempe ut causæ ipsæ, quæ in judicio aguntur aliæ cives invicem atque privatum cujusvis commodum respiciunt, inde Civiles appellatæ; aliæ publicam criminis vindictam spectant, ob id Criminales dictæ; ita quæ de illis conficiuntur civilia, quæ de his criminalia acta accipi debent. Ludovic. Rom. *hic n. 4. & 6.* Atque de civilibus quidem actis, quin petenti exhibenda sint, minus ambigitur, de criminalibus vero haud una

omnium ſententia eſt: moventur enim quidam in contrarium Reſcripto divorum fratrum *in l. 2. §. 2. ff. de Jure fiſci.* quo cavetur: *toties edenda eſſe* delatori *inſtrumenta* ad cauſam fiſci, quam ſe deferre profeſſus eſt pertinentia, *quoties de jure capiendi* v. c. tacitum fidei commiſſum incapaci relictum, *vel de jure dominii* ſcil. in re quapiam fiſco aſſerendo, *vel de alia* qualibet *ſimili re nummaria*, hoc eſt, civili cauſa *quæratur: non* etiam *ſi de capitali* ſeu criminali *cauſa agatur.* Quod ſi igitur, inferunt, ne fiſco quidem criminalium actorum editionem fieri neceſſe eſt, quanto minus eam exigere privatis licebit, quorum multo minor quam fiſci favor eſt. Nec oberit, quod inſtrumentorum ſaltim, non etiam actorum mentio in lege fiat. Eſt enim inſtrumentorum nomen generale, & acta æque ac alia quævis, quæ inſtruendæ cauſæ ſubſerviunt, complectitur *l. 1. ff. de Fide inſtrument. l. 10. C. de appellat:* Porro urgent & ſi etiam accuſatione criminali inſtituta, acta publica reo denegari nequeant; diverſum tamen obtinere, ubi non prævia accuſatione, ſed ex officio judex, fama publica motus, in crimen aliquod inquiſierit, tum enim ſaltim inquiſitoria, quæ vocant, acta edere eum nec quicquam cogi: quippe quod judici de fama aſſerenti credendum omnino ſit, atque ob id in fidem ejus reus fruſtra inquirere videatur. Jul. Clarus *Practica criminal. quæſt. 49. verſ. item ſcias.* Sed & acta criminalia, quibus argumenta ſeu indicia continentur quæſtioni reum ſubjicientia, vix illis edi Doctores Pragmatici tradunt. vid. Papienſ. *in pract. tit. 52. concl. 1. n. 27.* Atque optat Joſephus Ludovicus *Commun. opin. concluſ. 38. n. 114.* etiam legem condi; ne reis indiciorum copiam faciant judices, ceteroquin juſti: quod hac fermè ratione facinoroſis promeritas pœnas effugiendi cauſa ſuppeditetur. Quibus vero haut obſtantibus, rectius nos æquiſſimæ conſtitutio-

ſtitutionis verbis inſiſtimus, tam civilia quam criminalia acta edi indiſtinctim jubentis. Quæ enim foret iniquitas, pecuniariis quidem in cauſis civilium actorum editionem fieri, ſalutis vero ſuæ tuendæ ac ſervandi capitis gratia, criminalium actorum editionem denegari? imo vero, eo ipſo, quod acta ſunt publica, omnibus patere debent, iis tamen maximè, quorum ſalus, ut eſt *in l. 6. C. Theodoſ. de Accuſat.* in diſcrimen vocatur. Neque diverſum Imperatores *in d. l. 2. §. 2. ff. de Jur. fiſc.* reſcripſerunt: quod enim de inſtrumentorum editione in cauſis criminalibus non exigenda, illic conſtitutum eſt; non de publicis, ſed de privatis ejus, cum quo agebatur, inſtrumentis accipi debere contextus oſtendit. Quæſtio nimirum propoſita erat, an delator ab eo qui defert, jure deſideret edi & exhiberi ſua inſtrumenta, quæ habet pertinentia ad cauſam fiſci, quam defert fiſco, quibus ſcil. ea cauſa inſtrui, muniri, aut probari evidentius poſſit? Aſſeruerat Adrianus *in §. præcedenti* I. atque hoc ampliùs fraudi etiam illi eſſe eam rem ſeu nocere poſſe poſſeſſori, ſi non exhibeat inſtrumenta delatori, quæ tenebat & exhibere poterat. Quod in difficili veritatis conjectura atque ſi alia ratione indagari verum nequeat, qui ſupprimit inſtrumenta, ſubtraxiſſe ea & ſubduxiſſe, ceu cauſæ nocitura credatur. Divi autem Fratres *in § 2.* neceſſariam, ſubdiderunt aſſerto, exceptionem; ita demum reo hanc editionis neceſſitatem imponendam fore, ſi non de capitali ſed pecuniaria aliqua cauſa agatur. Utut enim in his forte confiteri quodammodo videantur, qui inſtrumenta, quæ penes ſe habent, quæve ab iis veritatis excutiendæ cauſa & patefaciendæ evidentius deſiderantur, non proferunt; aliud tamen dicendum cum criminalis vertitur quæſtio, nec ulla dum idonea ratio fuerit, quæ etiam capitis reum compellare poſſet ad inſtrumenta exhibenda, quæ habet

bet, quibus convinci queat: quin potius, quia ignoſcendum cenſuerunt ei Principes, qui ſanguinem ſuum qualitercunque redemptum voluerit, nec pœna proſequuntur etiam eos, qui delatores ipſos aut adverſarios data pecunia ſervandi capitis gratia corrumpunt; in humanum utique foret, & grave nimis reo, cogi eum adverſus ſe arma ſubminiſtrare, & jugulum ipſe ſuum petere, exhibitione actorum, per quæ capiti ipſius negotium fiat. *arg. l. 7. C. de Teſtit.* Quare, ut me paucis hinc expediam, ſunt acta etiam criminalia edenda, ſed publica. *d. l. n. 2.* non ſunt edenda actori à reo, ſaltim privata *l 2. §. 2. ff. de jure fiſc.* Donell. *hic n. 5.* Cujac. *ad d. l. 2. §. 2. ff. de jure fiſc.* Non magis movet, quod ſecundo loco urgent, de actis inquiſitoriis. Intereſt enim informationis ſuæ tantum cauſa, & quo certus reddatur, utrum omnino inquiſitio fieri debeat necne, Iudex indicia quædam, quibus reus premebatur, collegerit; an vero acta confecerit, uſui futura, vel in contemnando vel abſolvendo. Illa quidem, die Inquiſition **die der Richter zu ſeiner ſelbſt-eigenen Nachrichtung gehalten**/ ut reo edat, judicem cogi non poſſe, cum nec etiam publicorum actorum in cenſum veniant, facile largior; & firmaſſe ſæpius illuſtrem JCtorum in Salana hac ordinem reſponſis ſuis (veluti die 24. Octobr. 1603. die 22. Auguſt. 1604. die 17. Jul. 1605.) ex ſuppeditatis, à Nobiliſſimo diſſertationis Præſide ſchedis paternis, edoctus ſum: hæc autem, quibus judex ad contemnandum reum uſurus eſt, denegari ei non magis debent, quam ipſa adverſus criminalia defenſio, quam ſic deberi, ut nulla omnino lege adimi poſſit, inter omnes conſtat. vid. Farinac. *in Pract. criminal. lib. 1. tit. 5. qv. 39. n. 2. & 152.* ut adeo merito ſententiam eorum, qui judicem etiam mero officio procedentem, ad indicia & acta exhibenda cogi, rectiorem & à graviſſimis

mis

mis juris interpretibus probatam; contrariam verò, contra omnem antiquam & modernam jurisprudentiam à paucis invectam & plane hæreticam esse, dicat Cothmann. *Respons. juris vol. 3. vers. 9. n. 159.* qui tandem *n. 169.* infert; non solum indiciorum & actorum copiam exhibendam, sed & ipsum Processum informatiuum, à judice ad se tantum instruendum ordinatum, omnino communicandum esse; eo casu, quo isto processu contra inquisitum inquirens uti velit, vel inde qua alia ratione præjudicium aliquod inquisito generari queat & metuendum sit. *add. d. Resp. n. 155. seqq.* Carpz. *in Pract. crimin. part. 3. qv. 115. n. 24. seqq* Mevius *part. 2. decis. 321. n. 7. & 8.* Quod ipsum in simul eorum quoque destruit opinionem, qui acta criminalia ea, quibus indicia, quæstioni reum subjicientia continentur, edi non debere tradiderunt. Id enim assertum contra omnem & juris & æquitatis & naturæ rationem esse, rectè advertit Farinacius *d. l. n. 22.* Nec juvant à judicis justitia & fraudibus reorum quæsiti prætextus: nam bonus & justus Judex legibus vim ac injuriam inferre erubescit; at inferret sane, si legibus adversus tormenta, tuitionem permittentibus, videri velit melior. Roland. à Vall. *vol. 3. Cons. 12. n. 99.* Abusus vero qui in reis quandoque deprehenditur communicatorum actorum, verum eorum usum tollere, neutiquam debet; ne si ex abusu negotia æstimemus, nihil in universa rerum natura sibi constare videatur, cum omnia quæ creata sunt suum habeant abusum. Præterquam quod etiam satius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari *l. 5. pr. ff. de Pœnis* Cothmann. *d. Resp. 29. n. 180.* Quin adeo hæc vera sunt, ut nec sufficere quidem acta ad tuendum se adversus torturam reo edita esse, sed eo amplius requiri, quo de editione facta ex ipsis actis constet, plerique censeant; ne nullitatis

tatis argui proceſſus queat. Quod exemplo ſibi ipſi olim obvio firmavit Oldenkopp. *obſ. criminal. pract. tit. 4. obſ. 2. n 18.* Fuit, verba ejus ſunt, judici quispiam variis modis furti ſuſpectus ac ab officiali aliquo denunciatus, ſed non exſtabant contra eum indicia ad torturam ſufficientia, quæ autem pro talibus à tyrunculo judice reputabantur, nec inſuper ad elidendum & ad rei defenſionem erant communicata: is cruciatu torturæ nihil ominus fuit affectus, & furtum inquiſitum non ſolum, ſed præterea multa alia confeſſus eſt, & ratificavit confeſſionem aliquoties, nominando generum ſuum, ut complicem & criminis ſocium: Oſtenſis autem & deductis nullitatibus proceſſus iniqui & adhibitæ torturæ, reus eſt plane liberatus, nec quisquam auſus fuit contra eum & nominatum generum tentare quicquam. hactenꝰ ille. De conſiliis porro, ſive imformationibus juris & id genus aliis ſcriptis quæ judici à litigantibus exhiberi ſolent, an in cenſum hunc veniant, atque parti adverſæ edenda ſint, disquirunt Doctores. Id enim ſi admittamus, tum finis exhibenti præfixus, ſola nimirum judicis informatio, inverti videtur; tum ſuppeditari parti adverſæ occaſio variis diſputationibus cauſam innectendi & litem protrahendi. vid. Pacian. *de probat. lib. 1. c. 65. n. 120.* Gail. *lib. 1. obſ. 107.* Roding. *lib. 3. tit. 36. pag. 771. & 772.* Honthem. *de Art notariat. lib. 4. cap. 29. num. 9.* Sed tamen verius eſt edi utique debere, quod ex inſtituto docuit Oldenkopp. *quæſt. ſing. annex. diſſert. de jurejurand. in alterius anim. An conſilia ſive information juris quocunq; tempore, & in quacunq; parte judicii, etiam poſt concluſionem cauſæ, item breves relationes ex actis, recapitulationes & ſcripta ſimilia; nec non teſtimoniales ſive interceſſionales inferiorum judicum pro alterutro, litigantium, & id genus alia, parti adverſæ communicanda.* Sunt enim

enim hæc actorum pars non postrema, utpote ad quæ ea exhiberi etiam dissentientes fatentur. Oldenkopp. *d. l. n. 26.* Atqui convenit, ut de omnibus quæ apud judicem producuntur exemplum adversario edatur: ne forte quid falso adseratur judici, quod credens & secutus dicat iniquam sententiam. *l. 1. §. 3. ff. de Edend.* Id quod hic verendum etiam magis est, ob præsumtam producentis, adversarium circumveniendi cupiditatem, quam clandestinitate sua nunquam non intendere videtur, & ob imminens parti, cui hæc non eduntur, periculum, quam sæpe propter solam hanc causam, causæ suæ naufragium facere posse, præsertim si scripta talia, cum actis in manus Referentis junioris incidant, monuit idem Oldenkopp. *d. l. n. 24.* cum quo concludimus: esse igitur securius, cujuscunque melius sentientis judicio salvo, consilia, sive informationes juris, ad acta sive judici exhibitas, parti alteri etiam non petenti copialiter dare, & ita viam æquiorem, tutiorem & ab omni suspicione undiquaque magis liberam sequi: add. Oldendorp. *cl. 1. act. 8. inform edend.* Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. cent. 2. Cas. 175.* Jason. *h. n. 6.* Jo. Petr. de Ferrar. *in pract. Papiens. tit. de form. petit. cop. instrument.* Ulterius & epistolam eam, qua Judex acta ad JCtorum collegium transmissurus, sententiam requirit, edi reo, præsertim in causa criminali, debere tradunt: Existunt enim interdum quidam latrunculatores vel eorum actuarii, tam extremæ nequitiæ, gravissima hæc sunt verba fateor, non mea tamen sed laudati Oldenkopp. *observ. crim. tit. 1. obs. 8. n. 2.* ut in epistolis sive literis, quas una cum actis ad Facultatem Juridicam sunt missuri, immisceant quædam, de delicti circumstantiis falsisque sæpe præsuppositis, reo desuper non audito. Idque propterea, ut duriorem adversus eum eliciant sententiam. Sunt, qui tale quid ex ruditate committunt. Quapropter reus eius-

que advocatus etiam hac in parte sit cautus, petatque copiam Epistolæ ad Sapientes mittendæ, curet sibi in termino rotulationis originale monstrari & cum actis consignari. Hæc ille. Atque monet Rob. Marant. *Specul. aur. P. 6. de appell. n. 9. p. 476.* obstrictum adeo judicem, quo literas eas edat, esse, ut si recuset, appellari ab eo possit.

CAPVT III.

Quomodo & in quem finem editio fiat, tradit.

SVMMARIA.

Edere & exhibere differunt. An acta in originali edenda. Acta primæ instantiæ in appellationis judicio descripta eduntur. Secus in Saxonia obtinet. Descriptionis impensæ ne immodicæ exigantur superior curat. Acta criminalia quandoque originaliter eduntur. Regulariter acta obsignata ad judicem appellationis transmitti solent. Acta integra edi debent. Quæ habenda pro integris. Aliquando tamen partem eorum edi sufficit. Integra edita esse præsumuntur. An edenda specificè? An edenda sæpius? Finis editionis, investigatio veritatis; tum quo ad judicem, tum quo ad partes. Acta judicii civilis, edenda in criminalibus causis, & ad inquisitionem tam generalem quam specialem proficiunt.

HÆc ergo, quæ diximus Acta publica, quemadmodum & in quem finem exhiberi inspicienda debeant, ut investigem, ordo requirit. Quo loco præmittendum arbitror, esse quidem in ceteris non leve discrimen inter exhibitionem rei ejusque editionem. Quippe quod edere latius

tius multo pateat, quam exhibere, & exhibere plus sit quam edere: namque docente Fridero *de Mandat. Lib. 3. c. 42. n. 4.* Edere proprie significat copiam actorum vel instrumentorum facere, legendo, dictando, describendo, producendo: Exhibere autem similiter quidem fit producendo, sed ita fere plerumque, ne qui exhibet id amplius habeat, vel plane extra secretum habeat. Sic eduntur rationes, & actiones; exhibentur rationes tantum. Item, edit rationes tum qui exhibet codicem ipsum & corpus rationum, tum qui porrigit exemplum earum; nec vero hic, sed ille demum rationes ipsas exhibet. Edit actionem, qui reum producit ad album & demonstrat quam actionem dictaturus sit; nec tamen hic utique exhibere dicitur actionem. prout vel integri diversi satis Digestorum tituli *de edendo, & ad exhibendum* evincunt, & probat Cujac. *observ. lib. 10. obs. 14.* add. tamen Hottomann. *in Epitom. Pandect. tit. de edend. n. 2.* & Frider. *dict. lib. 2. c. 50. n. 2.* In præsentiarum tamen hæc ferme coincidere, indicio est ipsa inscriptio tit. cui lex nostra subjicitur. Unde acta exhibere, nihil denotat nobis aliud, quam copiam inspiciendi, legendi, describendive ea facere, vel exemplum eorundem porrigere. Disceptari vero hac in parte inter interpretes solet, ipsane originalia, quæ vocant, Actorum edi necesse sit, an sufficiat exhibuisse exemplum? quæ illorum lis una aliqua & generali definitione componi vix posse videtur. Multum enim refert, quis, cui, & in quem finem actorum editionem faciat; cum ea semper sic saltim fieri debeat, ne postulanti inutilis sit. Itaque si fuerit satis, ipsum actorem scire tenorem scripti, nec aliam ejus fidem desideret, tunc etiam simplex exemplum sufficit: *arg. l. 11. ff. de edend.* Verum, ubi causa talis est, ut privato exemplo nulla fides

adhibeatur: ibi oportet vel ipsum originale exhiberi; si id sine incommodo fieri possit: *l. 7. C. de edend.* alioqui exemplum solenniter autoritate magistratus descriptum & sigillatum. *arg. l. 6. §. 3. C. de appellat.* Oldendorp. *cl. 1. act. 8. in Pract. in fin. & cui & adversus quem detur.* Regulariter tamen non acta publica ipsa, sed exemplum eorum, fide publica, ut diximus, munitum, exhibere sufficit: *per l. 6. §. 3. ib: exempla C. de appellat. c. 11. X. de Probat.* Partim quod eo ipso, dum publica & judicio affecta sunt, privatorum arbitrio ac petitioni eximantur, & ad solam Rempubl. cujus autoritate sunt confecta, aut ad judicium cui velut appropriata sunt, pertineant. dicente P. Castrense *in h. l. n. 10.* add. Gail. *lib. 1. obs. 134. n. 22:* partim ne memoria peractæ causæ, aliorsum perlatis actis, intercidat; cum multa incidere possint, ob quæ acta inspici opus sit. vid. Mevius *Part. 7. d. 193. n. 4.*: partim ipsius qui editionem flagitat commoditatis gratia, qui liberius circa exempla actorum occupari iisque uti potest, quam originalibus vid. Bart. & Dd. *ad d. l. 6. C. de appellat.* Franc. Marc. *decis. parlament. Delphinat. part. 2. qv. 267. num. 1.* Mevius *Part. 4. dec. 367.* & *P. 7. dec. 384.* Cujac. *ad. d. c. 11. X. de Probat.* Aliquando tamen ob singulares rationes & circumstantias acta authentica edi permissum, quandoque & præceptum est. Veluti cum interposita appellatione, acta primæ instantiæ coram superiore producenda sunt, saluberrima sanctione à Potentissimo Saxoniæ Electore provisum, ut non descripta, ceu quidem jure communi fieri solet, & in Camera imperiali servatur, sed ipsa originalia exhibeantur; scilicet ad evitandas maximas impensas, quas alioquin fieri in descriptione eorundem oportebat; quarum summam quandoque ad ducentos & plures thaleros excreuisse, testis est Carpz. *in proces. tit. 18. art.*

art. 5. n. 82. seqq. Quod si vero hujusmodi quid aliis etiam in locis non servetur, superiori tamen judici incumbit inspectio & cura, ne appellantes in inferiori judicio per immoderatam taxam, quam vocant, actorum graventur: qui ideo hoc casu, si quidem res adhuc integra sit, monitorio inferiorem judicem, ut moderato pretio acta edantur monere; aut ipse, etiam non audito inferiore taxare; aut ubi jam immodicum exactum fuerit, restitutionem iniqui injungere potest. Mev. *P. 2. dec. 78. & P. 6 dec. 91.* Similiter quanquam cum actorum criminalium exhibitionem rei eorumve advocati defensionis formandæ causa exigunt, regulariter copia fiat exempli non originalis; si tamen cum delicti atrocitate concurrat moræ periculum, sitque crimen notorium, vel aliæ circumstantiæ expeditius remedium flagitent, judicem statuere posse, ut loco copiarum Advocatis reorum originalia edantur monet Oldenkopp. *observat. criminal. tit. 4. observ. 2. n. 8.* & *tit. 5. obs. 11. n. ult.* hactenus nempe, ut ipso aut alia persona publica præsente pervolvat & perlegat, ac quicquid ex iis usui sibi fore putat, ipsi communicetur. Solis enim reis aut defensoribus originalia committere, periculo plenum opus esset. Unde etiam cum prioris instantiæ acta coram judice appellationis producenda sunt, clausa & obsignata tradi solent, quo fraus omnis & deceptio evitetur. Etsi ubi obsignatio talis facta non fuerit, non protinus ob id ipsa appellatio pro deserta haberi debeat: tum quod nullibi leges aut JCti ad substantiam editionis actorum hanc consignationem requirant; tum quod si quid in eo peccetur, judici non partibus imputandum sit, quibus illius negligentia nocere non debet *arg. l. pen. ff. Mandat.* Berlich. *p. 2. decis. 167.* Carpzov. *in Proceff. tit. 18. art. 5. num. 87.* Mevius *p. 1. decis. 255.*

Alterum quod circa modum editionis obſervari meretur, eſt, fieri eam regulariter ita debere, ne acta exhibeantur mutila aut manca, ſed integra exhibenda eſſe. Paria enim ſunt omnino non edere, vel non totum, & non legitime edere; cum in utroque eadem ſit cauſa decipiendi, eadem damni ratio: perinde ergo habenda eſt inutilis actorum editio, quaſi nulla prorſus edita eſſent. *arg. l. 6. ff. qui ſatis dare coguntur.* Oldendorp. *cl. 1. art. 8. in Pract. n. 6.* adeo, ut defectiva ejusmodi actorum editione proceſſum ipſum, quaſi non audita parte, nullum effici dicant, vid. Cæſ. de Graſſis *deciſ. 57. n. 5.* Ita vero acta eduntur integra, ſi quæcunque ad litem pertinent, & ſemel pars actorum reddita fuerunt, exhibeantur. Idque actu ipſo, non etiam per ſolam relationem ad alterius litis acta: Nam quod vulgo dici ſolet relatum eſſe in referente, non ad notitiam relati, ſed ad poteſtatem referentis pertinet, ut ſenſus ſit; vi atque virtute haud minore illud pollere inſtrumentum, in quo ad aliud quis ſe refert, quam gaudet hoc ad quod relatio fit: interim, quo de ſenſu utriusque conſtet, utrumque exhibendum eſſe non negatur. Ad quem modum, cum plures inter partes diverſæ lites eſſent, earumque una, acta alterius in rem præſentem facientia, nuda ſaltem relatione ederet, declarata ea editio imperfecta eſt, & injunctum, ut quicquid actorum eam litem concerneret, deſcribi & edi curaret, apud Mevium *P. 2. dec. 62.* Attamen ſi integra exhiberi non interſit: veluti, cum non à tota cauſa in judicio ventilata, ſed ab uno vel altero capitulo litis atque ſententiæ appellatum eſt; ſufficit illam tantummodo partem Actorum quæ pro ſe facit, & ex quibus colligi poteſt iniquitas ſententiæ, in appellationis inſtantia exhiberi. Carpz. *d. l. n. 79.* Itaque aſſertum illud: ſententiam ſuper mancis atque inutilibus actis latam, ipſo jure nullam eſſe, non

por-

porrigendum est, ad quoslibet actorum defectus, sed eos solum, qui impediunt causæ cognitionem: quod si desint quædam quæ ex jam editis satis constarent, aut ad decisionem causæ non pertinent, aut nullius usus sunt, causam mullitati præbere nequeunt. Mevius *P. 6. decis. 107.* Idem evenit, si intempestiva diversorum actorum, sed ad præsentem causam suo modo pertinentium, editio postuletur: ut, cum post edita prioris instantiæ acta, inter appellantem & appellatum ventilata, ille pro gravaminibus justificandis alia acta, sed ab eo processu separata, allegat, & à judice prioris instantiæ sine mora avocari, nec non in cognitione causæ super gravaminibus suis inspici rogat: denegatur enim merito, aut differtur saltim talis editio, usque dum de validitate appellationis & facta litis contestatione appareat. Scilicet quod ea acta non sint pars actorum primæ instantiæ, in eadem causa, quæ sola ad appellationem inducendam necessaria sunt: Gail. *lib. 1. obs. 134. n. 15.* sed litis alterius, ideoque ad editionem solidam non pertineant. vid. Mev. *P. 2. dec. 204.* Omnium maxime vero criminalium actorum pleniſſimam exhibitionem faciendam esse, gravitas negocii, quod summam cautionem exigit, facile persuadet, & testantur crebra JCtorum adversum Judices monita, quo plena acta seu omnium eorum quæ à cœpta inquisitione usque ad diem transmissorum Actorum ipsis cum reis intercesserunt, quæve ab his in aut extra torturam pronunciata, diligentem accuratamque consignationem, communicent. vid. Tabor. *Racemat. criminal. 5. th. 8.* Oldenkopp. *observat. crim. tit. 1. obs. 8.* Plane si integra aut omnia acta edita ab se esse, quis asserat, id ita se habere præsumtio est, usque dum ab adversario contrarium ejus probetur; cum enim pluralitas actorum non præsumatur, suffecerit acta edenti, negare alia sibi supereſſe, quo adde

iis

iis convincatur. Aymo Cravetta *de antiquit. temp. P. 2. n. 55.* Quæ præſumtio in judice acta edente etiam fortius militat; atque ideo ſi quis, cum appellatum eſſet, defectu laborare acta contenderet, non ſuffecerit defectum talem generatim allegare, ſed opus præterea ut & ſpecifice is deſignetur, quo Judex tam ſuperior, quam inferior intelligere poſſit, quid ex actis deſit; & ab allegante ſufficienter probetur, & præterea quanti interſit acta ſuppleri doceatur: ſecus ſi fiat, acta habentur pro integris, & judex, non obſtante adducta actorum in ſufficientia, ſuper iis ultra procedit & pronunciat. vid. Mev. *P. 5. dec. 71.* & *dec. 137.* & *P. 6. dec. 271.* Multo minus obtentu actorum in ſecunda inſtantia imperfectè editorum, adverſus ſententiam in integrum reſtitutio indulgenda: cum ſi quod etiam vitium hic ſubfuerit, id tamen tempeſtivè gravatus monere,& hac ratione ſententiam evitare, aut ſupplementum actorum impetrare facile potuerit. id. Mev. *p. 4. dec. 191.* Cujus elegans eſt, & ad rem præſentem apprime faciens annotatio *ſub n. 1. d. deciſ.* Ita obſervatur, ait, in foro noſtro, ut quando actorum editio fit, non reſignentur aut publicentur, niſi citatis partibus, quibus cum exhibent per decretum terminus ad videndum reſignari, revidendum & ſi quid defecerit, maturè monendum præfigitur. Si defectum arguunt, dantur compulſoriales ad judicem à quo ad ſupplendum. Si de eo dubitant vel partes vel procuratores, indulgetur dilatio ad explorandum & indicandum: ita non tantum in prima inſtantia ante editionem locus eſt ad inquirendam actorum integritatem, ſed & ſpatium in ſecunda. Si quid inde peccatum fuerit, proficiſcitur ex mera partium & procuratorum negligentia. Porro cavendum monet Bertachinus *in Repertor.*: *verbis Acta in una inſtantia facta, &c.* ne edantur aut producantur acta indiſcretim & generaliter,

ſed

sed specifice & per singulas partes, quo omnis confusio evitetur. Quod ut non rarò locum invenit; videlicet cum productio recognitionis causa fit: ita semper, ac in plerisquo aliis juris articulis observari non solet; veluti cum vel judici successori, vel superiori ad quem appellatum est, acta eduntur: tunc enim generatim ea edi usus comprobat, & unanimis Doctorum consensus tuetur. vid. Dec. *hic n. 33.* Scacc. *de judic. lib. 2. c. 11. n. 40.* Tempus quoque modum editioni imponit. De quo summatim ita habendum: fieri actorum publicorum editionem semper tempestive debere; scilicet eo tempore, quo prodesse illa petenti possit: Nisi nominatim forte certus terminus præstitutus fuerit, tum enim is omnino observandus; ut est, cum acta primæ instantiæ coram judice appellationis edenda & producenda sunt. *vid. N. 126. c. 3.* Ord. Camer. *Part. 3. tit. 31.* Recess. Imper. de Anno 1654. §. So denn sollen. add. Roding. *in Pand. Camer. lib. 1. tit. 25.* Denais. *in Jus Cameral. tit. 2. & 5.* Nicolai *in Proces. P. 2. c. 10. n. 9. & 10.* In ceteris causis, in quibus certum tempus leges non determinant, judex quod commodissimum erit statuet. Neque minus huc pertinet, quod quamvis cetera instrumenta pleraque sine die & consule edi sufficiat; ne excogitetur aliquis modus, per calumniam introducendæ falsitatis, prolato tempore: *juxta l. 1. §. 2. ff. d. Edend. & l. 2. §. 2. ff. de Testament.* Bart. *in d. l. 1.* Acta tamen judicii, semper cum die & consule edenda sint. *c. 11. ext. de probat.* Fulv. Pacian. *de probationib. lib. 1. c. 65. n. 83.* Oldend. *c. l. 1. act. 8. de form. edit. n. 2.* Ita de editione indiciorum, quæ speciali adversus reum instituta inquisitione deprehensa sunt, respondit Cothmann. *Vol. 3. Resp. jur. 29. num. 175.* editionem eorundem fieri debere plene cum die & consule, cum loco & tempore omnibusque circumstantiis aliis. Ne scil. in aliquo,

etiam vel minimo reo tollatur defendendi facultas. Farinac. *in pract. criminal. lib. 1. tit. 5. qv. 39. num. 157.* Quid, an ſemel editis actis, iterum edi ea quandoque neceſſe eſt? Edenda iterum, ſed non niſi ex cauſa legibus probata: veluti ſi peregre habeat exemplum actorum, quod ſibi primum editum eſt, quo nunc maxime indigeat; vel ſi id caſu majore amiſerit, incendio forte, aut ruina, aut naufragio, non culpa ſua; vel etiam ſi prior editio manca fuerit & imperfecta, aut mutato forte judice, qui ſurrogatus eſt, de novo ex actis ſit informandus. vid. Mev. *P. 2. deciſ. 146. in fin.* Ex his cauſis, quia juſtiſſimæ ſunt, judex poſtulanti actorum editionem iterum decernet: *arg. l. 6. §. ult. l. 7. ff. de Edend.* ſed ut diximus non niſi prævia cognitione, quam etiam exactiorem tunc adhibendam eſſe, quam in prima poſtulatione, monet Oldendorp. *cl. 1. act. 8. quando & quamdiu compet.* In univerſum autem, ut diximus, quo modum editionis actorum pernoſcamus, plurimum refert noſſe, quis editionis hujus primarius ſcopus & finis ſit. Eum igitur varium atque diverſum valde deprehendimus, quem vero una ac generali quadam circumſcriptione, Imperatores hic exhibent, jubentes acta edi AD INVESTIGANDAM VERITATIS FIDEM. Quæ veritatis fides vel inſtructionis, vel probationis cauſa inveſtiganda venit. *arg. l. 15. C. de Appellat.* Inſtruunt porro Acta tum judicem ipſum, tum litigantes. Judex, quem non niſi cognita cauſa judicare convenit, ex actis præcipue cauſæ atque negotii quo de controverſia inter litigantes eſt naturam inveſtigat, argumenta partis utriusque perſpicit, dijudicat, atque tandem ſententiam iis conformem fert. Sive primæ inſtantiæ judex fuerit, ſive ſecundæ; item ſive ordinarius, ſive delegatus, neuter enim horum officium ſuum digne implere poteſt,

poteſt, niſi actis inſpectis. *Nam vos ſcitis*, monet Bart. *hic n. 5. quod pronunciatio facta per judicem, niſi haberet acta, non valeret, etiamſi eſſet ſententia bona & recte lata ſecundum acta, tamen pronunciatio non valeret.* Et his convenienter Mevius *p. 2. dec. 146. n. 1.* *Acta*, ait, *ſunt dux, lux & vehiculum veluti ad veritatem, queis non inſpectis, Judex nihil in præjudicium cujusquam decernere debet.* Hondedæus *Vol. 2. conſ. 27. n. 18.* Cacheranus *dec. 1. n. 39.* add. Ordinat. Judic. Provincial. Jenenſ. *cap. 3. ibi.* Die eingebrachte *Acta* ſoll der Hoffrichter ſamt ſeinen zugeordneten Beyſitzern mit allem Fleiß verleſen / wol *ponderiren &c. it.* ſo er den *Acten* und Rechten mehr *conform* zu ſeyn erachtet. *&c.* Hinc quotiescunque judicium vel inſtantia mutatur, acta prima in alio judicio reproduci jura exigunt. Carpzov. *Proceſſ. tit. 18. art. 5. num. 71.* Nec probant enim quamvis inter easdem perſonas in alio judicio, niſi edita iterum & producta fuerint. Scacc. *de Judic. Lib. 2. c. 11. n. 44.* Carpzov. *Jurisprudent. forenſ. Part. 1. conſt. 16. def. 22. n. 3.* Partibus edenda ſunt, quo iis appareat, quæ acta & qua cum fide concepta ſint: ut ſi quæ omiſſa, ſuppleantur; ſi quæ perperam ſcripta, emendentur. Sed & ut cognoſci queat, quibus argumentis nitatur intentio actoris, quæ in contrarium rei allegationes ſint, & quomodo probandæ: Item nihil eorum prætermiſſum eſſe, quæ leges ad conſtituendum rite judicium requirunt, actorum ope conſtare debet: Item, ſi alter litigatorum diu forte abfuerit, edenda illi ſunt acta, ut ſciat quid interim ſit factum. *arg. l. 13. §. 2. C. de Judic.* Oldendorp. *cl. 1. act. 8. cui & adverſ. quem det.* Zaſius *in tit. ff. de Edendo. n. 5. Tom. 1. pag. 237.* Solent hoc amplius edi etiam quandoque judicii civilis acta, ut via paretur accuſationi criminali aut inquiſitioni, adverſus vel unum è litigantibus, vel tertium cum quo actum non

est in eo judicio: puta, si vertente inter quosdam causa civili, excipiatur de crimine quodam, contra vel principalem vel testem; veluti si falsi crimen objiciatur atque probetur; tunc enim illa probatio falsitatis aperit judici viam ad inquirendum & peragendam causam criminaliter. vid. Scacc. *de Judic. lib. 1. c. 75. per tot.* Simili ratione, si de crimine, e. g. Furti, malueris agere civili actione, ut rem ablatam auferens tibi restituat, & obtinueris, aut saltim gravibus præsumtionibus reum oneraris; proderunt ea acta judici, quo publicæ vindictæ exequendæ causa inquirere in crimen ulterius possit, & pro renata adversus furem animadvertere. Idem evenit, si cum de crimine accusatio perageretur inter aliquos, tertii forte, ut socii criminis, injecta sit mentio; nam & hoc casu, ulteriori inquisitioni acta plerumque viam parant. *ordin. crim. art. 31.* Scaccias *d. l. 1. c. 81.* Neque generali modo inquisitioni subserviunt, alterius judicii acta, sed & speciali quandoque sufficiunt; videlicet, juxta quod probationes adductæ fidem mereri plenam vel minus plenam videbuntur. de quo adeundus iterum Scaccius *d. tr. lib. 1. c. 74. n. 3.* Farinac. *fragm. crim. P. 1. n. 17. seqq.*

CAPVT IV.

De personis quibus & à quibus acta edantur, agit.

SVMMARIA.

Acta edenda Judici tam primæ, quam secundæ instantiæ. Cura tamen & impensis partium. Edenda quoque accusatori, item & reo. Nec non tertio cujus interest. Edit etiam acta judex, vel actuarius. Item litigatores ipsi, aut penes quemcunq; ea sunt.

A rebus ad personas progrediamur, visuri, cui & à quo actorum editio facienda sit. quam tractationis partem, ceu aliunde cognitam, præteriisse Autores Legis nostræ videntur. Supponendum igitur generatim est, editionem actorum æquè ac aliam quamvis, ei demum fieri debere, cujus acta edi interest: non etiam supervacua eorundem editione quenquam onerandum, multo minus vero eam tum indulgendam, cum impetratis actis hoc solum laturus sit quis, ut obsit tantum alteri, sibi ipsi non prosit. Singulatim vero edi acta publica debent, primum judici, cui dijudicatio causæ competit; vel quod initio lis coram eo instituta, vel quod priore mortuo in locum ejus substitutus, vel quod appellationis beneficio ad eum producta, vel quod à superiore ipsi cognitio de mandata sit. Atque judex quidem primæ instantiæ, rarius quodammodo editione opus habet; ideo, quod mox à prima editæ actionis die acta penes eum extare jam contingat; attamen si quo casu abesse ab eo cœperint, non dubium est, quin edi rursus debeant. Pariter etiam is judex qui in demortui, vel alia ratione decedentis locum suffectus est, cum ex iisdem actis sententiam ferre obstrictus sit, ea sibi edi jure desiderat: *arg. l. 60. ff. de Judiciis* Francis. Milanens. *Decision. l. 1. dec. 2. n. 37.* Donellus *Comment. jur. lib. 17. c. 26.* & *in l. nostram n. 6.* Hilliger in Donell. *d. l. lit. M.* aut certe partibus, ut sua cura atque impensa efficiant, quo actorum copia ipsis fiat in jungit; ceu memorabili decisio summi tribunalis Wismariensis firmat Mevius *P. 2. dec. 146.* Appellationis quoque Judex, citra prioris judicii acta, rectene an secus in prima instantia pronunciatum sit statuere nequit, igitur edi illi omnino ea debere ratio dictitat [&] passim leges inculcant. *l. 25. l. 19. l. 24. C. de appellat. l. 3. ff. de Tempor. appellat. Novell. 134,* Vantius *de nullitat. rubr. à quo & qnibus modis n. 21.* Carpzov.

in Proceſſ. tit. 18. art. 5. n. 67. qui in hanc rem etiam hac ipſa lege noſtra utitur n. 70. Haud ſecus de judice delegato dicendum, cui à ſuperiore cauſæ cognitio commiſſa eſt: nam & is demandatum negotium ita demum recte exequitur, ſi quæ ante acta ſunt, primum habeat cognita ac ptobe perſpecta. Secundo, poſt judicem edenda quoque acta publica ſunt partibus. Actori non minus quam reo: *l. 15. C. de appellat. ib. ad inſtructionem & probationem actoris*, cum ceu publica utrique ea æque pateant, ac proinde non immerito idem de iis ſtatui debeat, quod de communibus inter eorum dominos cautum. *in l. 7. h. t.* A. Faber. *Cod. Sab. lib. 2. tit. 1. def. 8. in pr.* Mevius *P. 2. deciſ. 146. n. 5.* & *P. 5. dec. 303.* Etiam accuſatori, ut ſupra probavimus. Equidem eos, qui accuſare volunt, probationes habere debere: cum neque juris neque æquitatis ratio permittat, ut alienorum inſtrumentorum poteſtas fieri debeat reſcriptum eſt: *in l. 4. infr. h. t.* at apertum ſatis, agi illic non de publicis ſed alienis, h. e., reo propriis inſtrumentis, de quibus ſane, ceu cuique dominorum de re ſua, privatim ſtatuendi jus ei eſſe debet ut velit. Donell. *in d. l. 4. n. 2.* Reis autem etiam magis patere acta in cauſis criminalibus debent, quo gravius ſaluti eorum imminet periculum. *l. 2. C. Theodoſ. de Accuſat.* Tandem, nec tertio quidem actorum publicorum editio denegari poteſt, ſi intereſſe ſua hæc edi, probet: veluti quod ſententia in eo judicio præjudicium allatura ſit, aut quod ex actis illis conſuetudinem in qua quis ſe fundat, adſtrui poſſe, & in contradictorio pro ea inibi pronunciatum eſſe dicat: de quo vero priusquam editionem decernat, judex ſummatim cognoſcet. *arg. l. 3. §. 9. ff. ad exhibendum.* Add. Cynus *h. n. 1.* Paul. Caſtrenſ. *hic n. 10.* Oldendorp. *cl. 1. act. 8. cui & adverſus quem detur* Rutger Ruland. *de Commiſſariis*

riis P. 2. lib. 5. c. 19. n. 17. Ex his pronum eſt judicium formare, quis edere acta teneatur. Videlicet omnis qui edendi facultatem habet. Itaque non dubiè Judex aut cui is actorum cuſtodiam commiſit actuarius permiſſu judicis, *vid. ordin. judic. Provincial. Jenenſ. cap. 7. in fin.* ea ſi petantur vel inſpicienda vel deſcribenda exhibebit, quamdiu penes eum ſunt. Nec minus litigatores ipſi mutuo ſibi invicem hoc præſtabunt officii, ſi forte apud hos ea extare contigerit, Actor quidem, non modo ubi iis in cauſa uſurus eſt, ceu obtinet in privatis inſtrumentis: *l. 1. §. 3. ff. de edend.* Diſſent. Carpzov. *Lib. 3. Reſponſ. jur. Reſp. 78. num. 2.* ſed etiam cum iis uſurus non eſt, ad inveſtigandam tamen veritatis fidem deſiderantur: *dum enim jubentur edi, ſimpliciter reſcripto hoc noſtro,* infert Donell. *h. n. 1. intelligimus hoc ipſo juberi, quod publica ſunt; nec referre utrum is à quo editio poſtulatur, his uſurus ſit, nec ne; ſive is ſit ſcriba publicus, ſive unus aliquis ex litigatoribus. Recte, ſunt enim hæc quodammodo omnium; utpote publice in hoc confecta, ut ad fidem & uſum publicum exſtarent.* Reus autem & ipſe, exhibitionem effugere hoc caſu non poterit, cum non de inſtrumentis ipſi propriis, de quibus ſolis ut vult ſtatuere & decernere poteſt, ſed publicis, quæ non ſunt tam rei quam omnium, atque adeo ipſi cum actore communia, agatur. Qua propter etſi veriſſimum ſit, quod Cujacius *in Recitat. ſolennib. ad l. 2. §. 1. ff. de Jure fiſc.* advertit, legem noſtram non de editione actorum publicorum à reo facienda, ſed facienda ab eis qui ſunt cuſtodes eorum, & qui actorum publicorum commentaria conficiunt, loqui: non tamen ratio legis & mens ejus tam arctè patent, quin non ad reum quoque & omnes qui exhibendi acta publica habent facultatem, extendi commode poſſint & debeant, Jul. Clar. *Pract. crim. qv. 49. verſ. danda eſt autem.*

Diſſen-

Dissentit D. Godofred. *in b. t. l. k.* Evenire tamen quandoque posse videtur, ut quæ in se publica sunt acta, privatorum naturam induant, atque dum ea edere reus non cogetur; veluti huc pertinere existimo Berlichii decisum *P. 1. decis. 56.* Judicem de syndicatu conventum, actori acta judicialia contra se edere non teneri, nisi dicere malis, favore reorum praxin hic à theoria divortium fecisse. Idem de ceteris non litigantibus dicendum; scilicet nec eos ab actorum editione fore immunes, si quæ acceperunt forte acta publica nondum reddiderint. Nihil enim refert, utrum cum eo sit controversia à quo postulatur editio, an cum alio: sed sufficit postulatoris interesse *arg. l. 10. pr. ff. de edend.* Oldendorp. *cl. 1. act. 8. cui & adversus quem detur n. 7.* Gail. *lib. 1. obs. 134.*

CAPVT V.

Qua via actorum editio petatur, declarat.

SVMMARIA.

Competit, ad petendam editionem actorum, imploratio officii judicis. Quæ quandoque cum actione ad interesse cumulatur. Moribus mandata sine clausula impetrantur. Pœnæ adversus editionem detrectantes constitutæ. Nisi detrectandi justa causa sit. Qualis amissio actorum habenda est. Hæc quomodo probanda & tandem sarcienda.

MOdo superest, ut quibus remediis actorum editio petatur, si qui habet exhibere detrectet, videamus. Nempe IS APVT QVEM RES AGITVR exhiberi ea JVBEBIT. Quo generali enunciato omnes qui causis disceptan-

ceptandis præsunt Judices, Imperatores complexi videntur *arg.* §. *1. Inst. de action.* non etiam alios, apud quos de re quapiam agitur. Inter plurimas enim *rei* significationes, una hæc præsenti loco convenit, qua causam denotat, monente Odofred. *h. t.* ut sensus sit: jussurum eum judicem apud quem agitur causa, cujus gratia acta quæ postulantur confecta sunt, ea exhiberi. Quod intellige; si actorum ejus judicii editio vel ab actuario ipsius judicii, vel ab uno ex litigatoribus, qui apud eum judicem experiuntur, postuletur. Etenim, si quis ab alio quodam, quam cum quo agitur, puta à tertio, cui ea exhiberi quandoque antea diximus, jurisdictioni ejus apud quem res agitur non subdito, actorum editionem petat, frustra hic edi jubet: jubendi quippe potestate destituitur, atque ei ceu extra territorium suprave jurisdictionem suam jus dicenti, impune non paretur. Igitur hoc casu is adeundus erit Judex, qui jubendi habet potestatem, seu qui in eum à quo editio petitur jurisdictione gaudet, quo edi jubeat. Quanquam tunc non tam de edendo, quam ad exhibendum agi oporteat. Plane sicut & eo casu, cum finito jam judicio actorum editio petitur, non etiam res agitur in præsens, exhiberi ea, is apud quem res acta, plerumque non recte jubet. vid. Donell. *hic n. 9.* Hæc prona sunt, illud magis impeditum est, quo juris remedio impetranda actorum editio aut judicis de iis edendis jussus sit? Sunt enim qui solam officii judicis implorationem sufficere ajunt *per l. 1. h. t. ibi ad judicis officium pertinere solet.* Sunt ex adverso qui separata actione experiundum censent. *arg. l. 6. §. 4. ibi actio competit l. 9. pr. ibi per metum in factum actionis l. 10. §. 3. ib. in id actio competit ff. de Edendo.* Dicendum, editionem quidem judicis officio exigi, h. e. judicem implorandum esse, ut decernat & mandet exhibitionem actorum, si

prævia ſummaria cauſæ cognitione, intereſſe poſtulantis ea exhiberi ſenſerit; at ſi poſtquam adjudicata eſt editio, per dolum non obtemperet, nec edat ad verſarius, dum vero actionem in factum concedi. *d. l. 6 §. 4. ff. d. Edend.* Oldendorp. *cl. 1. act. 8. ex qua cauſa ſit hæc act. n. 3. & in ad finibus remed.* Bellon. *Supputat. lib. 2. cap. 11. n. 3.* Quin ſi quis ſic malit, eodem Oldendorpio *d. l. quid perſequamur.* tradente, poterit aliquando etiam eodem libello & officii judicis implorationem & actionem in factum ſimul comprehendere, atque petere decretum editionis à judice, ad edendum acta, & ſi non edantur condemnari reum in id quanti intereſt actoris: nimirum quia ad compendium litis ſpectat talis accumulatio, nihil obſtat, quo minus exemplo aliarum perſecutionum quæ cumulari ſeu conjungi poſſunt, eam admittamus. Moribus obtinuit ex peditiſſima ratio conſequendi actorum editionem, ſi quis mandatum ſine clauſula compulſoriale impetret à ſuperiore ad judicem inferiorem, ut is ea exhiberi curet. *ordin. camer. Imper. P. 2. tit. 31. §. 1. & P. 3. tit. 31. §. 1. ſeqq.* quod tum in eadem tum indiverſa inſtantia, ſi acta petantur, fieri poſſe, plena manu tradit Petr. Friderus *de Mandat. lib. 2. cap. 47.* add. Zanger. *Comment. in lib. 2. Decretal. ad c. 1. de Re judic. n. 83.* Gailius. *lib. 1. obſervat. 134.* Integrum quoque judici ſuperiori erit ex officio mandare, quo inferior ipſi acta edat; veluti decretum refert Mevius *P. 7. dec. 185.* his verb. **In Sachen des** Advocati fiſci **Klägern wider Claus Lindowen beklagten** in puncto **der Verluſtigkeit der Mütterlichen Erbſchafft/ wird Beklagter diß Einwendens ungehindert/** proxima **auff die Klage vor den Königlichen** Tribunal **rechtlich zu antworten ſchuldig/ inmaſſen ihm dann** ſub pœna comtumaciæ **ſolches obliget/dabey** ex officio mandatum **an Bürgermeiſter und**

Rath

Rath der Stadt Wißmar erkand / die Nachricht / was vor ihnen in puncto contra matrem ergangen / auch die Acten zu besichtigung einzusenden und Klägern solches sonderlichst zu beschaffen aufferlegt / V. R. W. Quanquam nec his etiam mandatis fine clausula locus sit, nisi cum ea acta quæ ad litem, in qua partes versantur, pertinent, petuntur; in ceteris autem judex, aut penes quem acta sunt, prius audiri adeoque ad exhibendum agi debet. Mev. *P. 3. dec. 322.* Quod etiam observandum, si post producta jam acta, admissum libellum, & injunctam appellato responsionem, demum acta plenius edenda esse objiciatur: non enim tunc protinus renovatio conpulsoria-lium ad supplenda acta decernenda, ut fieri solet cum editis actis illa statim reperiuntur imperfecta; sed prius de eo inquirendum, audita tam parte, quam judice. *id. P. 5. dec. 71.* Quamvis, quo citius lites terminentur, receptum sit, ut prioris judicii acta appellans ipse secum adferre debeat, *vid. ordinat. appellat. Saxon. ruhr.* von *Appellationen* / wie die angenommen *&c.* §. Nachdem sichs aber offt zuträgt *&c. ibi:* So soll hinführo / damit an Justificirung der *appellation* wegen Mangelung der *Acten* erster *Instantz* nicht Hindernüß vorfallen / ein ieder *Appellant* solche *acta* einzuliefern schuldig seyn *&c.* atque adeo editionis actorum impendia & onera partibus non judici incumbant; vid. Bald. *vol. 4 conf. 316.* Mev. *P. 2. dec. 146.* tamen si impetrare acta appellans non possit, judex appellationis inferiorem judicem à quo appellatum est etiam hoc casu ut ea edat compellit. *arg. l. 19. C. de appellat. l. 4. C. de sentent. & interlocut. omnium judic.* Judex ergo acta exhiberi jubet. Quid vero si jussi non pareant? plures, tunc pœnæ adversus contumaces paratæ sunt, quibus Jurisdictionem suam judex

tueri ſolet. Namque in cauſa appellationis juxta Imper. Camer. obſervantiam, tradente Gail. *d. lib. 1. obſ. 134.* Si inferior judex poſt habito mandato ſuperioris acta petenti non edat, hic contumaciam accuſando, de requiſitione & inſinuatione ſimplicium compulſorialium fidem faciendo, arctiores compulſoriales, ſiquidem petat, contra judicem à quo impetrabit, cum inſerta citatione ad videndum ſe incidiſſe in pœnas ſimplicium; vel allegandum juſtas cauſas, cur hoc fieri non debeat, inſerto itidem præcepto, ut adhuc ſub præfixa banni pœna, pro legitima mercede, acta requiſitus edat. Fider. *d. tract. c. 47. n. 2.* In criminali cauſa, ſi acta quibus indicia continentur judex edere recuſet, itidem condignis pœnis afficiendus eſt: præſertim ſi, quod in dubio præſumitur, dolo editionem detrectet. vid. Oldenkopp. *obſerv. crim. tit. 4. obſ. 2. n. 9.* Quod ſi non Judex, ſed actuarius forte edere acta recuſet, facile fuerit judici manu mandatum ſuum exequi; ut fieri in aliarum rerum vindicationibus ſolet, ſi poſſeſſores reſtituere juſſi, contumacia facere id detrectent: *l. 68. ff. de Rei vindic.* vel licebit etiam immorigerum actuarium ab officio removere, & alium ni reſipiſcat in locum ejus ſubſtituere. Utique, ſi non juſta cauſa editionem moretur. qualem etiam habendam eſſe, cæteris paribus, cum debitum honorarium actuario non præſtatur, Carpzovius definit. *Jurisprud. ſua forenſ. P. 2. Conſt. 25. def. 23.* add. Mevius *P. 6. dec. 231.* Denique litigantium aliquo editionem detrectante, cogendi ratio expeditiſſima erit; ut recuſante actore, reum judex abſolvat, reo vero recuſante, eum habeat pro convicto. *arg. l. 2. §. 1. ff. de Jur. fiſc.* Donell. *hic n. ult.* aut commination interpoſita declaret, exemplo ſe fidem habiturum, ſi adverſarius originale edere nolit. Mynſing. *ad. c. 1. X. de probation. num. 42.* Plura de pœnis his, quibus acta publica non edentes afficiuntur,

tur, vide ſis apud Pacian. *de Probat. lib. 1. cap. 66. n. 164. ſeqq.* add. Weſenbec. *in Parat. ff. h. n. ult.* Ummium *in Proceſſ. diſp. 17. th. 8. n. 42.* Quæ vero omnia ſic accipi debent, ut ita demum, ſi copia actorum fieri poſſit, ea edantur. Nam ubi contigerit deperdita eſſe, aliter ſe res habet; probanda enim tunc ante omnia amiſſio ea aſſerenti, & quidem cum ipſa in ſe ſit privatio, mediis quibusdam factis. Quæ aut tam aperta ſunt, ut probari nullo negocio poſſint, e. c. Incendium exortum, ruinam factam, naufragium contigiſſe &c. aut occultiora ſunt, veluti ſi quis furtum factum, vel per errorem acta ablata dicat, & tunc ſuffecerit probationem per conjecturas ac indicia fieri. vid. Oldendorp. *cl. 1. act. 8. in defenſ. rei convent.* Probata hoc modo fortuita actorum amiſſione, hactenus quidem editionem ceſſare conſtat; reſtat tamen ut diſpiciat Judex, ſi qua alia ratione damnum reparari poſſit. Igitur citandi tunc litigantes eorumque Advocati & Procuratores, aliive omnes penes quos actorum quædam fragmenta exſtare vero ſimile eſt, atque ea exhibere compellendi: quod ſi ex his collatis invicem & congeſtis, acta redintegrari non poſſint, ſuffecerit ex manualibus quæ vocant, ſeu privatis partium actis aut ſcripturis publica inſtaurari ac refici, dummodo in hæc, ceu acta partes conſentiant. Si vero ne ſic quidem damnum ſarciri queat, ultimum ſupereſt ſubſidium, ut de novo cauſa agatur, ad quod vero recurrendum non eſt, niſi cum aliter negotio ac partibus conſuli nequit: ne cum opus non eſt, ſinat Judex lites multiplicare, quas abbreviare magis decet. *l. 21. ff. de Reb. credit.* Berlich. *P. 1. dec. 293.* Mevius *Part. 2. dec. 69. & P. 7. dec. 394.*

Hæc B. L. de Editione Actorum Publicorum occaſione *l. 2. C. de Edend.* quæ dicerem habi. Habuiſſem forte plura, ni ſummis temporum anguſtiis circumſcriptus, ac

plerisque qui ex instituto de hac materia egerunt autoribus essem destitutus. Præter eos enim, quos in hanc æquè ac plerasq; aliasRomanæJurisprudentiæ leges scripsisse constat: Bartolum nempe,Baldum, Jacob. de Arena, Cynum, Jacob. Butrigarium, Joann. Fabrum, Albericum de Rosate, Salicetum, Ludovic. Romanum, Paul. Castrensem, Alex. de Imola, Odofredum, Francisc. Aretinum, Jasonem, Barthol. Socinum, Decium, Alciatum, Æmil. Ferrettum, Gilkenium, Donellum, &c. quorum vix unum alterumve inspicere mihi licuisse, res ipsa loquitur: non dubium est, quin commodare plurimum potuissent repetitiones singulares vel tituli totius, vel legis saltem nostræ Pauli Pici, Joannis de Vico mercato, Lælii de Valle, Purpurati, Francisci Curtii, Fr. Ripæ, Bolognetti, Laurentii Kirchovii ac aliorum. Sed ut copia horum fieri non potuit, ita nec intra fines exercitii academici tantus apparatus contineri commode posse videbatur. Quod si olim forte, ut speramus, mitiora fata affulserint, non difficile erit dictis alia addere. Interim

his fave atque vale!

HOc unum restabat adhuc, carissime Fautor!

Ante tuum cuperes quam revocare pedem:

Ut, Tibi quæ fuerit nunquam non maxima cura

Hactenus hîc Jenæ, pagina docta daret.

Dat:

Dat: laudoque bonum ſtudium pulchrosque labores,
Si libet, hinc abeas, omnia facta bene!

Nobiliſſimo Domino Paulizio, Juris Utriusque Candidato digniſſimo, Fautori incomparabili piâ mente hæc poſuit

C. K.

Du läßt / Herr Bruder / nun aus klugen Schrifften blicken /
Was unverdroſſen Fleiß in Büchern hat gethan:
Nun will dein munter Geiſt / ſich zu der Reiſe ſchicken /
Und ſehn / was man vor Witz auch auders wo trifft an.
Ich wüntſche tauſend Glück zu dieſem Unterfangen /
Das einſten groſſen Lohn nach Wuntſche wird erlangen.

Chriſtoph Poppig / J. U. C.

PUblicos, *Amice*, teſtes
laudis edens inclutæ
editum mox iri eandem
publicis actis, doces.

Johan. Jacob. Beithaupt /
Phil. & S.S.Th. St.

Der /

DEr/ welcher sich zur Fahn des Martis wil verfügen/
Und keine Memmen-Art in seinem Busen hält/
Derselbe bleibet nicht stets in Quartieren liegen/
Besondern stellt sich frisch vor seinen Feind ins Feld.
Herr Paulitz/ dürffen wir Ihn recht Soldatisch nennen:
So hat Er bißanher mit Büchern wohl gekriegt/
Soldaten kan man bald aus ihren Waffen kennen:
Was wunder/ wenn sein Mund im disputiren siegt?
Itzt geht der Kampff recht an: Nun darff Er nicht laviren/
Der Feind steht im Gesicht: Nur greiff' Er tapffer an/
So wird die Pallas Ihn mit Lorber-Blättern zieren/
Wir wünschen viel Glücks zu seiner Sieges-Fahn!

Also wolten dem Herrn Respodenten gratuliren

Desselben verbundenste Landesleute
aus Görlitz.

LAudo operam studiumque tuum: natalia namque
Larva revisurum cursu hic veloce præibit
eximiæ præco laudis; sicque omine fausto
perveniens illuc, omnes in commoda pronos
& tua perfaciles vota experieris, Amice.

Christoph Wilhelm Satler/ J. U. St.

O Felix studii! qui jam nunc pulpita scandis,
Artibus ut rectis pectora plena probes;
Sectarisq; diu mentis quanto impete sacra,
Imperiis præses quæ themis alma regit,
Applaudit Phœbus Musarum turbaque, fructus,
Altera majores mox TIBI Diva feret.

Pauca hæc Nobilissimo atq; Doctissimo Dn. Respondenti
gratulabundus adjicere voluit

Georgius Adamus Willius,
Segnizio Francus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0049-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0050-9

Jena, Pfsk, M-Z (:) 1689

ULB Halle
004 754 662
3

7+3 d.
+27

TA→OL

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0052-0

1689,32 19

. V.

IFICENTISSIMO

CIPE AC DOMINO

INO

VILIELMO

IACI CLIVIÆ

DVCE &c. &c.

TATE

SVLTORVM ORDINIS

E ACTO

LICORVM

de Edendo

ESIDIO

SHROETERI, D.

VOCATI ORDINARII

ISPVTABIT

OR

VS PAVLITZ

LVSAT.

cIↃ IↃc LXXXIX.

S NISIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-535509-p0053-6